

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Urkunden und Akten der Stadt Strassburg

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

Wiegand, Wilhelm

Straßburg, 1879

1185 - 1187

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

universi capituli Argentinensis majoris ecclesie venerabili abbati Weceloni et monachis Parisiensis cenobii sepe nominatum predium pro censu 10 solidorum Argentinensium in festo sancti Martini annuatim solvendorum jure hereditario in perpetuum concessimus, hoc quoque statuentes, ut succedentibus invicem sibi personis in titulum ejusdem prefati predii semper firma maneat semel facta concessio et ecclesia Parisiensis vel aliquis nomine ipsius de manu cujusquam non cogatur illud iterato suscipere, sed ad recognoscendam legitimo possessori justiciam suam 12 denarios Argentinenses persolvat. hoc quoque dignum duximus inserere, quod predictus abbas et monachi 30 libras Basilienses jam nominato Heinricho dederunt, ut possessionem, quam incaute tenebant, ipse cum prole sua in manus nostras resignaret. facta est autem hec donatio a nobis et capitulo Argentinensi abbati et ecclesie Parisiensi anno ab incarnatione domini 1185, regnante Friderico imperatore. et ut hec verius credantur, presentem paginam impressione sigilli nostri munivimus et, quod veritas magis elucescat, sigillum capituli Argentinensis majoris ecclesie apponi fecimus. hujus quoque facti testes sunt: Bertoldus prepositus de Swarzenberc, Fricco dechanus, Lenfridus^a cantor, Cunradus archidiaconus de Huneburc, Eberhardus custos de Junginge, Burchardus archidiaconus de Gregens, Werno canonicus, Morandus canonicus.

C aus Colm. Bez.-A. fonds Pairis or. mb. c. 2 sig. pend. delapsis.

B coll. Straßb. Bez.-A. G nr. 27 or. mb. c. 2 sig. pend. delapsis.

Gedruckt nach B bei Würdtwein Nova subs. dipl. X, 137 nr. 45.

122. *Der Arzt Humbert aus der Lombardei, ein Straßburger Bürger, löst durch eine Geldzahlung alle Verbindlichkeiten gegen das Jung St. Petersstift, die auf einem Haus unter den Sattlern und einer Mühle zu Illkirch lasteten. 1187.*

: In nomine sancte et individue trinitatis. : notum esse volumus tam futuri quam presentis seculi hominibus, quod Humbertus natione Longobardus, professione medicus, dignitate civis Argentinensis, ab omni obligatione scilicet domus inter sellatores et molendini in Illenchirchen se suosque heredes solvit, qua conventui sancti Petri ante portam Argentinensem obligatus fuit. hoc autem fecit in quadam lite dirimenda, que versabatur inter conventum predictum et Eberhardum quendam clericum suosque coheredes. litis autem forma talis fuit: prepositus cum conventu dicebat, se locatorem esse molendini trium rotarum et ejus appendicium, scilicet saltus trium mansuum et quarta parte mansi frugiferi et quadam areola in villa Ekkeboldesheim sita; horum autem enumeratorum usufructuarios dixit esse conductores. Eberhardus vero et ejus coheredes econtra tercię partis molendini, videlicet unius rote cum suis appendiciis, dixerunt se possessores hereditarios esse. hanc litem episcopus Heinricus consulente Berhtoldo cantore diremit in hunc modum: quod prefatum capitulum 17 libras Argentinensis monete Eberhardo suisque coheredibus tradidit; econtra prenotati controversores, quicquid juris in predicta parte molendini suisque appendiciis videbantur habere, unanimiter capitulo resignaverunt. sicque

^{a)} B Lentfridus.